

A Manifestum enim est ex horū descriptione, hippomanes hīc neq; pro planta, neq; pro caruncula poni. In Arcadia autem esse plantam, etiam furoribus amatoriis damnatam, cur inficiari possit quispiam, non video, antiquis tot autoribus rem ipsam agnoscentibus. Inueniri demum carunculam, instar caricæ, in fronte pulli applicitam, quam mater nisi mordicus decerpserit deuoraueritq;, ab amore curaq; educandi filij abalienetur, Theophrasto, Plinio, & aliis id tradentibus. Qua de re idem Maro:

Quaritur & nascentis equi de fronte reuulsus

Et matri præceptus amor,

B Causam nullam video cur quispiam aduerfetur. Neque audiendi sunt qui nihil aliud hippomanes apud Maronem & Theocritum, addam & Tibullum, significare contendunt scholiis in Dioscoridem, nisi furorē grandem, vt eorum verbis vtar, & vbiq; adiectiui nominis modo poni, cum iā vocem eā triū esse rerum, quæ quidem & cerni, & manibus atrectari possunt, vocabulū substantiuūq; verum indicauerimus. Neq; tamen negamus, ἵππων locutionē plerisq; nominibus applicitam, magnitudinem proceritatemq; significare, vt hipposelinon, hippomarathrū, et multa huiusmodi, quæ superfluum est enumerare: sed hæc non sunt tanti, vt negare possint hippomanes veram esse in Arcadia plantā, cuius figuram neq; non vim amatoriis veneficiis peculiare, Crateuas apud Theocritum descripserit: neq; carunculam auferant, quæ sit omnibus manifesta: neq; destillationem amoueant, quæ Tibulli, Virgilij, Probi, Aristotelis deniq; ipsius autoritate continetur: in eandem enim furoris efficaciam conueniūt virus illud, planta Arcadica, & ficulneus ille tuber à maleficis propinata. Hæc fortè nos morosius psecuti sumus, quàm suscepti operis ratio postulasset: sed grauisimo viro, ætate nostra præstanti, qui tria hæc de rerū natura tollere conatur, respondendum fuit, si Veneti Poëtæ nostri, si Romani, si Siculi dignitatem in suo cuiusq; genere summorum tueri concedatur.

P R O F A N V S.

S Anè quidem Ægyptij sacerdotes animal hoc alioqui tam generosum, tam vtile, tam domesticum, repudiare, ac per hieroglyphicum eius profanum intelligi decreuerit: cuius rei causam eam fuisse suspicor, quæ maiores etiā nostros in Italia ab eo abstinere tam religiose iusserit, vt à sacrorum flamine minime tāgeretur, propterea quòd damnatum inter venena fel habere proditū est. Alij rem simplicius interpretantes, dicunt inde factū, ne si longius digrederentur, fraus interdum ex negligentia fieret sacris. Ea enim de causa sacerdotum etiam nostrorū familiis data oia, ne profanis occupationibus, aut curis distraherentur, sed in precibus tantū Deo allegandis occupati essent, & laudes illi septies in die dicerent. Perseuerarit autem in nostra vsq; tēpora, vt primores Antistites equo per urbem vehi, solennibus præsertim diebus, contra morem & decorum haberetur, præterquam vno maxime omnium festo die, quo nouus Pontifex Maximus ad Lateranum deducitur: tunc enim in albis equis omnes Præsules conuehi moris est.

A V T O R I T A S.

C Vm q; apud Romanos veteres Dictatoria dignitas admodū sacrosancta esset, vetusta quadam lege nefas Dictatori erat equitare. Causas alias atq; alias memorat Plutarchus, vita Fabij: siue quòd maiores vires pedestribus inesse copiis arbitrarentur, propterea q; oportere Imperatorē in phalange perma-